Lēctiō	septimā	Dē	orīgine	Rōmae	Aenēās	Trōiānus	annōs	trēs,	fīlius	ēius	Iūlus	trīgintā,	prōgnātī	ēius	trecentōs

annōs	in	Lātiō	rēgnābant.	(Iūlus	urbem	nŏvam,	Albam	Longam	condidit.)	Amūlius,	vĭr	impius	frātrem	māiōrem,

Numitōrem	ex	rēgnō	pepulit	fīliamque	ēius,	Ream	Silviam	Vestālem	fēcit.	At	Rea	Silvia	fīliōs	geminōs,

Rōmulum	et	Remum	peperit.	(Păter	geminōrum	ipse	deus	Mārs	fuit.)	Rēx	Amūlius	Rōmulum	et	Rĕmum

interficere	volēbat.	Servus	rēgius	ad	Tiberim	puerōs	portāvit,	sed	eōs	nōn	interfēcit.	Et	Mars	fīliōs	suōs

servābat:	lupam,	feram	Martiālem	ad	puerōs	mīsit,	quae	eōs	adiuvābat	lactēque	alebat.	Mox	Faustulus,	pāstor

rēgius	geminōs	invēnit	et	cum	ŭxōre	eōs	alēbat	et	ēducābat.	Posteā	Rōmulus	et	Rĕmus	auxiliō	pāstōrum

Amūliūm	rēgnō	pepulērunt	et	urbem	novam	condere	volēbant.	Sed	quis	moenia	urbis	pōnet?	Quis	arātrō

moenia	sīgnābit?	Quis	urbī	nōmen	dabit?	Ille,	quī	auguriō	vincet,	quī	plūrēs	avēs	vidēbit.	Rōmulus	in	montem

Palātīnum,	Rĕmus	in	Aventīnum	māne	init.	Prīmum	Rĕmus	sex	avēs	videt	in	ōrdine,	mox	Rōmulus	bis	sex

(duodecim)	avēs	videt.	Sīc	Rōmulus	urbem	in	septem	montibus	condit.	Haec	urbs	erit	Rōma,	quae	hostēs

vīcerit,	posteā	terrīs	pacem	impōnet.	Iam	urbs	Rōma	valida	erat,	sed	penūria	virginum	fēminārumque	māgna	erat.

Itaque	Rōmulus	cōnūbium	ex	Sabīnīs	nŏvō	populō	petēbat,	Sabīnī	autem	negāvērunt.	Ideō	Rōmulus:	"Sī	fīliās

sponte	suā	nōn	dĕderint,"	dīcit,	"eās	rapiēmus."	Ex	hāc	iniurĭā	bellum	magnum	cum	Săbīnīs	ĕrĭt.	Pācĕm

Săbīnae	efficient.	Rōmae	septem	montēs	sunt:	Palātīnus,	Aventīnus,	Capitōlīnus,	Ēsquilīnus,	Caelius,	Quirīnālis	et

Vīminālis.	In	septem	Rōmae	mōntibus	septem	rēgēs	rēgnābant:	Rōmulus,	Numa	Pompilius,	Tullus	Hostīlius,	Ancus

Mārcius,	Tarquinius	Prīscus,	Servius	Tullius,	Tarquinius	Superbus.